

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De hereditate parentis manumissoris

Mayer, Marum Samuel

Tubingae, 1832

[urn:nbn:de:bsz:31-10572](#)

D E

10

H E R E D I T A T E

PARENTIS MANUMISSORIS

DISSERUIT

Dr. M. S. M A Y E R,

JCTUS TUBINGENSIS, PROF. E.

T U B I N G A E,

E X O F F I C I N A E I F E R T I.

M D C C C X X X I I .

042B62, 13, 10 R#

20

PRO E M I U M.

Dudum jam miratus sum, quomodo factum sit, ut posteriorum temporum Jureconsulti paene omnes de parentum manumissorum hereditate tacerent. Quamvis enim Justinianus succedendi jus, quod parentibus manumissoribus competeret, in libris Institutio-
num ¹⁾, Digestorum ²⁾ ac Codicis ³⁾ saepius

-
- 1) §. 6. J. quib. mod. j. p. s. (I. 12.) Tit. J. de legit. par. tut. (I. 18.) §. ult. J. de leg. agnat. succ. (III. 2.) §. 4. J. de bon. possess. (III. 9. [10]).
 - 2) l. 16. §. 1. D. de inoff. test. (VII. 2.) Tit. D. si a par. quis manum. (XXXVII. 12.) l. 4. §. 1. D. quis ord. in poss. serv. (XXXVIII. 15.) l. 10. D. de suis et legit. (XXXVIII. 16.) l. 2. §. 15 — 16. l. 3. l. 5. §. 2. D. ad Sctum. Tertull. (XXXVIII. 17.)
 - 3) l. 2. l. 7. §. 1. C. ad Sctum Tertull. (VI. 56.) l. ult. C. de emanc. lib. (VIII. 49.)

commemoraret, nec certis novellarum constitutionum ¹⁾ verbis abrogaret; parum tamen absuit, quin memoria ejus penitus extingueretur.

Diligentius itaque in causas, ex quibus successionis illius nulla ratio haberetur, inquirenti constitit, per incuriam erroremque effectum esse, ut ab antiquis inde temporibus res accuratè contemplatione digna negligeretur.

Jureconsultorum, qui glossatorum nomine veniunt, de hac hereditate sententia incerta atque obscura est. Etsi enim omnes omnino Institutionum, Digestorum Codicisque locos, qui in hoc jure versarentur, commentariis suis instruerent: nusquam tamen appareat, utrum novellis constitutionibus pristinum jus abolidum censeant nec ne. Si perpenderis, qua ex causa parentes manumissores etiam mutata èmancipationis formà liberis emancipatis successisse putarent, facile opinaberis, eos omnem hereditatem, quae ex emancipatione oriatur, novellis constitutionibus sublatam sta-

1) Nov. CXV. Nov. CXVIII.

tuisse ¹⁾). Sed quum glossatorum aetate recep-tum fuisse videatur, ut parens manumissor ad bonorum possessionem contra tabulas ad-mitteretur, quin ad intestati etiam heredita-tem perveniret, fieri non potuit ²⁾). At haec

- 1) Dicunt enim, parentem manumissorem veluti *agnatum* successisse; agnationis autem et cognationis discrimen Nov. CXVIII. penitus sustulit. Glossa ad §. ult. I. de legit. agn. succ. verba: (III. 2.) *ad legitimam* „est enim filius agnatus patri proximus, quod jus non tollitur per capitis deminutionem sicut nec inter fratres.“ Conf. Azo, summa in C. unde liberi. „Posset tamen succe-dere etiam per unde legitimi, cum emancipatione etiam non tollatur hodie jus agnationis inter patrem et filium, sed olim tollebatur, nisi eman-ciparet contracta fiducia.“

Quae opinio nolim inde firmetur, quod glossa (ad l. 10. D. suis et leg.) praerogativam patris naturalis ejusdemque manumissoris cum Nov. CXVIII. non amplius convenientre credat. Nam et illi, qui post Nov. CXVIII. patri manumissori hereditatem deferri putant, concedent eum matre non amplius potiorem esse.

- 2) Glossa ad 1) l. 1. pr. D. si a par. qu. manum.

argumentatio alia rursus ratione infirmatur: etenim glossa non nisi de parente manumissore naturali loqui, parenti adoptivo autem non eadem jura concedere videtur, quum emancipatione dissolvantur¹⁾). Nunquam vero evenire

(XXXVII. 12.) verba: *itum est in hoc.* „quia eadem ratio. sed cum hodie non sit eadem aequitas, quia non quaerit in adventitiis nisi quoad usumfructum, dicit Azo, quod aliud est in patre quam in patrono. Sed H. dicit, *hodie etiam idem.*” 2) I. 1. §. 2. D. l. c. verba: *acepit pecuniam.* „Sed nonne semper *hodie* accipit? Resp. illud fit lege permittente unde non habet poenam.” 3) I. 3. D. l. c. verba: *constitutae.* „in patrono, quae est *hodie* tertia, idem in patre cum eadem sit aequitas.” Conf. gloss. ad §. 6. J. quib. mod. j. p. s. (I. 12.) Ipse Azo, qui bonorum possessionem c. t. parenti manumissori denegat, ab intestato successionem non denegare videtur.

- 1) Glossa ad I. 2. §. 15. D. ad Scetum Test. (XXVIII. 17.) verba: *pater esse desierit.* „adoptivus post emancipationem, ut supra unde liberi l. liberi (l. 4. D. und. lib. XXXVIII. 6.)” Qua lege laudata eadem in patre quae in liberis post emancipationem statuere videtur.

potest, ut parenti adoptivo non eandem successionem impertiamus, quam parenti naturali etiam post Nov. CXVIII. ex emancipatione assignamus.

Qui glossatorum aetatem sequebantur, jure reconsulti neque definitius neque planius disputaverunt. Odofredus praestantiam patris naturalis manumissoris Nov. CXVIII. abrogatam contendit, causa non adjecta; at totam ejus successionem in agnatione ponere videtur; de parente adoptivo nullam significationem apud eum invenio¹⁾. De Cino merito idem dixeris; nisi quod parentis manumissoris successionem apertius in agnatione posuerit²⁾. Eadem Al-

1) Odofr. Lectura super infort., ad l. 10. D. de suis et leg. (XXXVIII. 16.). Lect. in Cod., ad l. 2. C. ad Setum Tert. (VI. 56.), ad l. ult. C. de emancip. (VIII. 49.) „Licet olim jus agnationis tolleretur inter patrem et filium per emancipationem, nisi expresse sibi reservaverit, hodie tamen non, ut hic subjicit, quia semper contracta fiducia intelligitur emancipare.”

2) Lect. super Cod., ad Auth. *defuncto*. C. ad Setum. Tert. (VI. 56.) „Ista Autentica corrigit iura an-

bericus de Rosata; qui tamen jura parentis adoptivi emancipatione extingui significat ¹⁾). Similis paene opinio Bartoli, et Baldi ²⁾). Quid vero Paulus Castrensis sibi velit, quum asserat (ad Auth. *defuncto* C. ad Sctum Tert. VI. 56.): „Item intelligo istum textum de patri naturali

tiqua et leges Codicis.. nam..... hodie per istam Authenticam filius habet hereditatem, et sublata est differentia cognationis et agnationis, et ideo pater et mater aequaliter vocantur, ut hac Auth.”

- 1) Lect. in Cod., ad l. 2. C. ad Sctum Tert. (VI. 56.). Lect. sup. infort., ad l. 2. §. 15. D. ad Sctum Tert. (XXXVIII. 17.) „Id est, pater excludit matrem, si sit agnatus legitimus, alias secus, ut in sequ. §. ib. *esse desierit* per eman- cipationem.”
- 2) Bartol. Lect. sup. Cod., ad l. 2. C. ad Sctum Tert. (VI. 36.). Bartolus et bonorum possessio- nem contra tabulas abolitam dicit, Lect. sup. infort., ad tit. D. si a par. q. manum. (XXXVII. 12.) „aliae glossae dicunt, quod jura antiqua in hoc sunt correcta. istam ultimam partem, puto veram.” Baldus, Lect. sup. C., ad l. 2. C. eod. et ad l. ult. C. d. emanc. (VIII. 49.)

et legitimo, ut concurrat in successione filii cum matre, sed si pater adoptivus est, praeferitur mater ut in l. 2. §. objicitur ff. eo. ti., quae non corrigitur per hanc Auth.", plane non video. Etenim de parente adoptivo ante emancipationem cogitasse videtur. Quibus omnibus diligenter circumspectis persuasum habeo, jureconsultos memoratos veram indolem successionis, quae parenti manumissori tribueretur, non percepisse eoque inclinasse, ut eam ipsam successionem Nov. CXV. et CXVIII. extinctam censerent.

Auctorum, qui saeculo decimo sexto fluerunt, plerique rem plane non attingunt, quasi nunquam fuisse hereditas parentis manumissoris. Qua autem de hereditate qui disseruerunt, eam aut Novellis l. abolitam aut saltem post has Novellas plane inutilem esse paucis verbis declarant: quorum quippe animus ne cogitatio quidem subiret parentis adoptivi. In eum modum Franc. Balduinus profitetur (ad Inst. lib. I. tit. 12. quib. mod. j. p. s. §. 6.): „Hodie nullus est harum rerum usus, cum etiam Justinianus Nov. sua constitutione

118. sustulerit discrimina emancipationis et patriae potestatis, et simpliciter statuerit, patrem esse heredem filii, qui sine liberis mortuus est”¹⁾). Eandem sententiam amplexi sunt Hottomannus, Ant. Contius²⁾; Joachim Mynsinger, Valentin Forster, Conr. Rittershusius³⁾.

-
- 1) Conf. eund. ad J. lib. III. tit. 2. de legit. agn. succ. §. ult. — Brev. Comment. ad Just. Novellas, ad Nov. 118.
 - 2) Hottomannus in Comment. ad J. III. 2. de leg. agn. succ. §. ult. — Contius in libello de hered. et bon. poss., quae ab int. defer. (opera omnia, Paris. 1616. p. 326. seqn.).
 - 3) Joach. Mynsinger. Comment. ad Inst., scholia ad J. III. 2. §. ult. „Porro hodie prorsus inutile est hujus constitutionis beneficium, cum jure Novellarum longe melius consultum sit parentibus, ut scilicet filiis suis intestatis post liberos succedant, cum fratribus tamen defuncti, fratrumque filiis.” — Val. Forster, de hered. quae ab int. defer. lib. VII. c. 2. — Conr., Ritterschusius Novell. Imp. Just. expositio method., p. VII. c. 10. — Ejusd. Comment. ad Inst., ad J. III. 2. §. ult. — Quibus addantur Petr. Heigius, Comment. ad Inst., ad J. III. 2. §. ult. Joach. Hoppius, Comment. ad Inst., ad J. I. 12. §. 6.

Cujacium utrum ad eosdem adscribam, qui
vetus parentis manumissoris jus per Novellam
CXVIII. cecidisse dicant, an quam aliam sen-
tentiam ei adsciscam, plane incertus sum. Qui-
busdam locis patri naturali, non etiam adop-
tivo videtur concedere, ut semper quasi con-
tracta fiducia intelligatur emancipasse ¹⁾; qui-
busdam locis jus parentis manumissoris Nov.
118. sublatum esse, aperte demonstrat ²⁾; aliis
autem locis parenti manumissori et querelam
inofficiosi testamenti et bonorum possessionem
contra tabulas liberorum emancipatorum dari
contendit ³⁾.

- 1) In libr. VI, differ. Modest., ad l. 10. D. de suis et leg. — Comment. in Cod., ad l. ult. C. de emanē. liber.
- 2) Comment. in Inst., scholia ad J. III. 2. — Com-
ment. in Cod., ad C. VI. 56. — Iust. novell.
expos., ad nov. 118.
- 3) Comment. in D. V. 2., ad l. 14. — Comment.
in l. 14. Quaest. Papin., ad l. 15. D. de inoff.
test. — Observ. VIII. 23. — Tamen non is sum,
qui negem Cujacium, quantum ego quidem vi-
deam, nusquam definisse, illa contra tabulas

Unus nobis offertur Donellus, qui qualis esset parentis manumissoris successio bene perceperit. Manumissorem enim etiam novissimo jure ad honorum possessionem contra tabulas emancipatorum admittit; quam parenti adoptivo post emancipationem necessariam esse clara voce nuntiat¹⁾. Qui autem fieri potuerit, ut de legitima ejus hereditate prorsus taceret²⁾, difficile est intellectu. Quem enim ad honorum possessionem contra tabulas vocaveris, eundem etiam ad intestati successionem admittas necesse est.

Jureconsultorum, qui saeculo decimo septimo inclaruerunt, multo maxima pars ne verbo quidem successionem parentum manumissorum significant. Pauci tantum eam memorant, sed tanquam abrogatam. Itaque Arn. Vinnius docet, „jure authentico plenissime de jure succedendi cautum esse, parentemque

bon. possessio etiam jure novissimo obtineret,
nec ne.

1) Comment. de jur. civil. II. 27. §. 13—15. §. 17.
sequ.

2) eod. I. et IX. 1. §. 10—21.

manumissorem jure patroni quoad emolumen-
tum successionis uti desiisse ex Nov. CXVIII.
c. 2. Nov. CXV. c. 4. ¹⁾). Sequuntur eandem sen-
tentiam Strykius, Ant. Perez, Ulrich Huber,
Joh. Harpprecht; Westenberg et Schulting ²⁾).

- 1) Comment. in Inst., ad J. I. 12. §. 6. III. 2.
§. ult.
- 2) Strykius, usus mod. Pand., ad tit. D. si a par. q.
manum. (XXXVII. 12.) §. 1. „Sed hoc reme-
dio hodie opus non est, sicut nec pater amplius
jura patronatus per emancipationem consequitur.”
Perez, Comment. in Cod., ad C. VI. 56. — Ulr.
Huber, prael. jur. civ. ad D. XXXVII. 12. §. 1.
— Harpprecht, de succ. ab intest., potius Com-
ment. in Inst. III. 1 — 15., ad J. III. 2. §. ult. —
Westenberg, princ. jur. D. XXXVII. 12. §. ult.
junct. D. XXXVIII. 17. §. 20 — 24. §. 41. —
Schulting, Jurispr. antejust. p. 57. not. 43. „Et
erat magni usus haec fictio: dubitari enim pote-
rat, an pater, qui desierat esse agnatus filio per
emancipationem, nunc quidem ut patronus... vo-
caretur, quum jam non amplius in usu esset ma-
numissio illa... Postea agnati sunt exaequati
cognatis, Nov. CXVIII. ac tunc illa fictio.. su-
pervacua.”

Accedit Bachovius, quamvis ut videtur ambi-
guus ¹).

Scriptorum saeculi decimi octavi non nisi
perpaucos inveni, qui de successione paren-
tum manumissoris loquantur; omnes eam abo-
litam reputant ²).

Qui nostra denique aetate de successionibus
scripserunt, parentis manumissoris successio-
nis aut nullam mentionem faciunt, aut anti-
quatam dicunt ³).

1) Comm. in Inst., ad J. III. 2. §. ult. „Sed ista quoque dispositione hodie non opus esse videtur post Nov. 118., quamvis per d. Nov. mater cum patre et fratribus concurrunt, at jure patroni potiora jura patris erunt.”

2) Just. H. Bochmer, Comment. in Inst., ad I. 12. §. 6. de Cocceji, jus civil. controv. II. p. 401 — 402. — Hofacker legitimam sucessionem nusquam memorat, contra tabulas autem bonorum posses-
sionem parentis manumissoris abrogatam putat,
„*tutela fiduciaria nos latente.*” (Princ. jur.
Rom. §. 1638.).

3) Gluek, Intestaterfolge, ed. 1822. p. 557. — Muehlenbruch, Fortsetzung des Pandectencomm.
von Gluek, Th. 35. S. 219 — 221. — Loehr, Ma-

In tanto Jureconsultorum concentu maxime miror, neminem causas planius exposuisse, ex quibus successionem parentum manumissorum abjiceremus. Circiter omnes de ejus abrogatione quasi de re minime dubia disserunt; abolitam esse Nov. 118. et 115. paene omnes concinunt; de parente adoptivo, perpaucis exceptis, nemo cogitat, nemo verba facit.

Muehlenbruch solus sententiam suam inde firmat, quod nullus ordo inveniatur, quem parenti manumissori assignes; nec enim, opinatur, stabilitum Novella 118. successionis ordinem interrumpi posse, constituto duplice parentis manumissoris succedendi jure ¹⁾). Atqui duplex parentis manumissoris jus nihil novi continet: nec magis nova ordinis succedendi interruptio. Nonne et ante Novellam a fratribus et sororibus excludebatur, fratrum et sororum liberos, *quamvis et ipsi inter legitimos haberentur*, excludebat? Itaque cur

gazin, IV. S. 127. — Franke, Notherbrecht, S.
483 — 485.

1) Muehlenbruch, I. c.

non post Novellam 118. successionis ordinem interrumpet, qui eum et ante eam interrumpebat? Addamus, quum parens adoptivus nullum duplex jus habiturus sit, qua ratione contigit, ut in ejusdem successionem, quam caeteroquin Muehlenbruch ipse non ignorare videtur ¹⁾), non accuratius inquireret?

Quae cum ita sint, diligenter atque copiose examinare institui, possitne parens manumissor et post Nov. CXVIII. et CXV. ad hereditatem liberorum emancipatorum admitti, an totum hoc jus per Novellas constitutiones abrogatum sit. Omnia autem ut accurate disputata, et qua par esset cura pervestigata judicares, primum qualis ante Nov. CXVIII. esset successio parentis manumissoris quaesivi, deinde quantum momentum habere posset Nov. (CXVIII.) ad eam aut abrogandam aut saltem immutandam exploravi. Quae autem omnia, paucis de bonorum possessione contra tabulas emancipatorum additis, in hunc libellum contuli.

1) Doctr. Pand. III. §. 561. not. 15.

CAP. I.

DE SUCCESSIONE PARENTUM MANUMISSORUM
ANTE NOVELLAM CONSTITUTIONEM
CXVIII.

Quaerentibus, utrum jus parentum manumissorum succedendi in bona liberorum emancipatorum Novella constitutione CXVIII. sublatum sit nec ne, diligenter investigandum erit, emancipatorum liberorum hereditates quibus et quo ordine ante Novellam illam constitutionem deferrentur¹⁾). Fieri enim non potest, ut quae Nov. CXVIII. innovarit intelligamus, nisi quae ante eam de hereditate emancipatorum jus civile atque honorarium statuisse prius intellexerimus. Videamus itaque, primum quosnam heredes jus civile, quod Novel-

1) Qua de re parum diligenter disputavit C. Witte, de luctuosis heredit. Vratisl. 1824. Conf. v. Loehr, Magazin für Rechtswissenschaft etc. etc. IV. Nr. 8 — 9.

lam praecederet, ad bona emancipatorum vocaret, deinde quibusnam jus honorarium istorum bonorum possessionem polliceretur.

§. 1. I.) *Jure civili* deferebatur liberorum emancipatorum hereditas:

a.) defuncti vel defunctae liberis, et quidem *defunctae* liberis sine ulla aut sexus aut gradus *praerogativa*¹⁾, *defuncti* autem liberis non omnibus, sed suis tantum heredibus iisque, quos inter suos heredes adsciverant posterioris aevi imperatores²⁾; quibus addantur etiam emancipati per rescriptum ex Anastasii constitutione³⁾.

§. 2. Caeteros autem nolim emancipatos suis

1) I. 11. C. de suis et leg. (VI. 56.) Si.. filia... filios dereliquerit, omnimodo matri.. ipso jure succedant, quod sine dubio et de *pronepotibus* observandum esse sensemus. I. 12. C. eod. Quotiens.. aliqua.. intestata mortua fuerit, *nepotibus* vel *pronepotibus* cuiuscunque sexus vel *deinceps* *aliis* *descendentibus* *relictis*.... descendentes soli ad mortui successionem vocentur. — §. 1. J. de Seto Orph. (III. 4.).

2) I. 9. I. 12. C. eod. — §. 15 — 16. J. de hered. qu. ab int. def. (III. 1.).

3) I. 11. C. de legit. hered. (VI. 58.).

heredibus adscribas, quamvis non desint Jure-
consulti, quorum auctoritate te defendas. Quod
si quis forsitan dixerit, nihil jam causae fuisse,
cur emancipati a suis heredibus jure civili se-
cernerentur, postquam nepotes neptesque ex
filia simul cum iis ad paternam hereditatem vo-
cati essent; sane non negabo, emancipatos per
consequentiā juris inter suos heredes referri
debuisse: sed negabo, re vera relatōs esse.
Id sibi certum persuadebit, quicunque perpen-
derit, permultis Digestorum locis et in ipsis
Institutionum libris asseverari, emancipatos
jure legitimo excludi et nisi juris honorarii
beneficio ad paternam avitam hereditatem
non admitti ¹⁾! etsi post constitutiones illas ²⁾,
quibus nepotes proneptesque ex filia seu
nepte suis heredibus adnumerarentur, et quas
ipsi Institutionum libri latissime interpretaren-
tur ³⁾, Digesta Institutionesque conscriptae
sint. Quid? ne fratrum vel sororum here-
ditas tempore Institutionum confectarum, nisi

1) §. 9. J. de hered. qu. ab int. def. (III. 1.)

2) l. q. l. 12. C. de suis et leg. (VI. 58.).

3) §. 15—16. J. de hered. qu. ab int. defer. (III. 1.).

deminutà parte, ex constitutione Anastasii emancipatis simul cum consanguineis deferebatur ¹⁾). Proximo sane anno hanc juris iniquitatem Justinianus sustulit, emancipatosque cum consanguineis exaequavit; tantum autem absuit, ut eos ad suos heredes adscriberet, ut aperi- tissime declararet, emancipatos solum Prae- torio jure parentibus succedere ²⁾.

Inconstantiam juris merito quis accusaverit, quum non solum ex foeminis nati suis

1) Vid. Instit. ab Eduardo Schradero nuperrime edit. ad §. 1. J. de succ. cogn. (III. 5.).

2) l. 15. §. 1. C. de legit. hered. (VI. 58.) Cum igitur *Praetorem* filium emancipatum, licet subtili jure capite fuerat deminutus, attamen in *patris successionem* vocare manifestum est; non *eodem* autem *jure* etiam ad fratrum suorum successionem *ab eo vocabatur, sed nec filii ejus jure legitimò suis patruis succedebant*, necessarium duximus *hoc* primum corrigere, et legem Anastasianam justo incremento perfectam ostendere, ut emancipati filius et filia non solum in paternis bonis ad *suorun similitudinem* succedant, sed etiam in fratrum vel sororum suarum successione... aequo jure invicem sibi succedant et non secundum legem Anastasianam parte aliqua deminutà.

heredibus adnumerarentur, sed etiam emancipati ipsi, eorumque filii filiaeve ¹⁾ aequo jure cum agnatis vocarentur. Attamen consideres velim, nec unicum nec maximam fuisse hanc inconstantiam, quae ex constitutionibus posteriorum imperatorum proficisceretur. Nonne sororis filius vel filia ante sororem ipsam ad agnatorum dignitatem producta est ²⁾? Sed emancipati jure praetorio saltem bonorum paternorum avitorumve possessionem aequa cum suis heredibus lance accipiebant; ut Justinianus alienum putare posset, eos inter suos referre.

§. 3. Post defuncti aut defunctae liberos emancipatorum hereditas deferebatur:

b.) defuncti vel defunctae fratribus et sororibus; idque per Justiniani constitutiones effectum est. Jure enim antiquo parens qui patroni instar ad hereditatem admittebatur, omnes ex

1) l. 15. §. 3. C. eod.

2) l. 15. §. 2. C. eod. junct. §. 4. I. de legit. agn. succ. (III. 2.) Conf. Instit. ab Eduardo Schradero nuperrime edit. ad h. l.

latere cognatos et civili et honorario jure excludebat ¹⁾). Postquam autem Anastasius sanxerat, ut emancipati defunctis fratribus vel sororibus una cum consanguineis deminuta parte succederent, merito dubitari potuit, an non et mortuorum emancipatorum hereditatem fratres et sorores parente priores haberent. Attamen ante Justinianum nusquam reperimus, fratres et sorores emancipatorum parentem manumissorem superasse. Cui opinioni cave opponas :

I. 2. C. ad Sctum Tert. (VI. 56.) In successione filii vel filiae communis, sine liberis *et fratribus et sororibus* morientis, pater manumissor, quia ei sit velus jus servatum, matri praefertur.

Imperatores enim Diocletianum et Maximianum, quibus haec constitutio adscribitur, non in eum modum rescriptsse, exinde ap-

1) *civili jure*, quia emancipatus nullos agnatos habere potuit nisi ex adrogatione quaesitos; ex adrogatione autem quaesiti patri manumissori non obstabant (I. 1. §. 2. D. si a pae. qu. manum. f. XXXVII. 12.): *praetorio*, quia pater ex illa clausula Edicti *unde legitimi*, caeteri ex illa *unde cognati* veniebant.

paret, quod Theodosius primus fratres et sorores capite deminutas cum aliqua diminutione matri adjungebat¹), quod a patre manumissore fratres et sorores emancipatorum adhuc Theodosii tempore exclusos esse manifestum est²). Accedit, quod Diocletianus et Maximianus ipsi demonstrant, emancipatorum bona fratres et sorores non nisi per bonorum possessionem consequi posse³). Constitutio itaque relata aut a Triboniano mutata sit⁴) oportet, aut aliter eam quam ego, interpretaris.

Primus Justinianus fratres et sorores, seu cognatione seu agnatione defunctis jungerentur, patri manumissori praetulit.

I. 7. §. 1. C. ad Sctum Tert. (VI. 56.) Sin autem defuncta persona non solum matrem et fratres et sorores superstites habeat, sed etiam patrem, si quidem *sui*

1) I. 2. l. 7. C. Th. de legit. hered. (V. 1.).

2) I. 10. Th. de mat. bon. (VIII. 18.).

3) I. 1. C. commun. de succ. (VI. 59.).

4) Quae sententia haud scio, an confirmetur verbis:
„quia ei sit *vetus jus servatum*.“

juris decessit... sancimus fratres quidem et sorores mortuae personae ad successionem proprietatis solos pro virili portione vocari etc."

Quo sancito alia orta est quaestio de emancipatis, quibus ex constitutione Anastasii legitima jura servarentur, prone emancipatis haberentur, an pro filiisfamilias: qui si inter emancipatos verè censerentur, fratres et sorores oportuit patrem excluderent, si ad filiosfamilias adscriberentur, pater nisi in lucro nuptiali, in rebus maternis et post l. 6. pr. §. 1. C. de bon. qu. lib. (VI. 61.) in omnibus, quae patri non adquirerentur, a fratribus sororibusque non superaretur¹⁾). Igitur Justinianus nova constitutione jussit, ut fratres et sorores praeter patrem successionem haberent, ususfructus autem totus ad patrem pertineret, nec quicquam interesset, an ex constitutione Anastasii an consuelto more liberi emancipati sint,

l. 13. §. 1. C. de legit. hered. (VI. 58.)...
sancimus ad similitudinem maternarum

1) l. 13. pr. §. 1. C. de legit. hered. (VI. 58.)

rerum aliarumque, de quibus jam a nobis lex posita est, etiam hujusmodi hereditatem jure quidem dominii ad *fratres vel sorores* in totum pervenire, usumfructum autem ejus patri totum ... adquiri: sive per sacram oraculum emancipatio procedat, sive alii legitimo modo a *sacris paternis* fuerint absoluti.

§. 4. Superstitibus autem parente manu missore et matre, fratribus sororibusque, ad hereditatem quidem fratres et sorores admittebantur, pater autem et mater usumfructum pro besse accipiebant: idque ideo constituit Justinianus, quod pater matrem praecedere videbatur, matrem autem una cum fratribus vocari aequum censebat, Igitur ut repugnatio concinnaret, fratribus et sororibus totam hereditatem tribuit, ususfructus besse in compensationem ejus partis, quam mater abstulisset, deducto patremque inter et matrem aequa lance diviso ¹⁾). Quae sanctio posteriori legi, quae patri superstitibus fratribus

1) l. 7. §. 1. C, ad Scutum Tert. (VI. 56.).

et sororibus totum usumfructum assignavit, haud amplius respondere videtur.

§. 5. Ut ad rem revertar, parenti manumissori fratres et sorores emancipatorum praepositos esse, etiam ex eo cognoscimus, quod parentis manumissor ad hereditatem liberorum emancipatorum instar patroni veniebat. Inde enim patet, quaecumque de jure patronorum statueris, etiam de jure parentis manumissoris, nisi lex ipsa repugnet, statui oportere. Sed patronus tum demum in bona liberti successit, quum libertus nec liberos, nec fratres aut sorores reliquisset.

§. 5. J. de succ. libert. (III. 7. (8.)) . . .

Sin autem intestati decesserint, nullo liberorum relichto, tunc patronatus jus integrum reservavit . . . Sin autem sine liberis decesserint, si quidem intestati, ad omnem hereditatem patronos patronasque vocavimus.

§. 10. J. de grad. cognat. (III. 6.) (pr. de servil. cogn. III. 7.) . . . ut hi omnes ad successionem patris vel matris veniant, patronatus jure in hac parte sopito: hos

enim liberos non solum in suorum parentum successionem, sed etiam *alterum in alterius mutuam successionem* vocavimus etc. etc.

Primo quidem loco Justinianus liberorum tantum mentionem fecit, secundo etiam fratrum et sororum; ut cognosceremus, primum ex secundo supplendum esse¹⁾.

§. 6. Fratribus et sororibus haud superstitionibus hereditas deferebatur:

c.) Parenti manumissori, exemplo patroni. Mutata enim emancipationis forma Justinianus iura omnia legitima parenti manumissori, quasi fiduciam contraxisset, exceptit²⁾.

1) Quocum congruit de jure patronatus quae nobis exhibetur constitutio graeca, l. 4. C. de bon. libert. (VI. 4. — apud Spangenberg p. 358.). Καὶ τὸ ἐν τούτῳ παραδοξότερον, καὶ αὐτοὺς τοὺς παῖδας εἰς τὴν ἀλλήλων οἰλησονομίαν καλεῖσθαι βούλεται διάταξις καὶ βούλεται ἐπὶ τούτων τῶν θεμάτων τὸ πατριωνικὸν δίκαιον ἀργεῖν, ὥστε καὶ ἀπελευθέρους καὶ ἀπελευθέρας ὑπὸ τῶν παΐδων οἰλησονομεῖσθαι, καὶ αὐτοὺς τοὺς παῖδας ὑπὸ ἀλλήλων . . . καὶ μηδαμοῦ χάρακα εἶναι τῇ πατριωνικῇ διαδοχῇ, τῶν τοιςύτων προσώπων ὑπόντων.

2) l. ult. C. de emanc. (VIII. 49.) §. 6. 1. quib. mod. jus p. s. (I. 12.) §. ult. J. de leg. agn. succ. (III. 2.). Quibuscum convenientunt quae in

Parens autem manumissor dicitur:

1.) pater, avus vel proavus naturalis, qui filium, filiam, nepotem, neptem, pronepotem proneptemve emancipavit;

2.) pater vel avus adoptivus, qui liberos adoptatos emancipavit: nec tamen omnis pater seu avus adoptivus. Ecce enim ad extraneum, cui parentes naturales liberos in adoptionem dederint, jura perentum manumissorum non pertinent; nec vere pater est extraneus ille, sed parenti naturali omnia jura servantur perinde „atque si (adoptatus) in patris naturalis potestate permansisset, nec penitus adoptio esset subsecuta”¹⁾). Tum solum pater adoptivus jure civili pater intelligetur et post emancipationem jura parentis manumissoris habebit, cum et ipse sit parens naturalis, paternus seu maternus, aut cum pater adoptivus liberos ex adoptione quaesitos iterum in adoptionem

constitutione illa graeca (apud Spangenberg, p. 341.) legimus: Σωζόθω δὲ τὸ πατρωνικὸν δίκαιον καὶ τῷ τὸν νιὸν ἢ τὴν θυγατέρα ποιήσαντι αὐτεξίους etc. etc.

1) §. 14. J. de hered. qu. ab int. def. (III. 1.) I.
10. pr. — §. 2. C. de adopt. (VIII. 48.)

dederit ¹⁾), denique cum homo sui juris adrogatus fuerit, aut cum nepotibus vel neptibus et deinceps personis ab avo vel proavo naturali in adoptionem datis, mortis avi vel proavi tempore naturalis adoptatorum pater liberos suos antecesserit ²⁾).

§. 7. Inter patrem autem naturalem eundemque manumissorem et avum vel proavum nec non parentem adoptivum manumissorem hoc maxime intererat, quod pater naturalis matrem, caeteros verum omnes mater excludebat ³⁾.

Matrem, patre naturali manumissore superstite, etiam novo jure removeri, multi loci demonstrant, qui Digestis et Codici inserti sunt ⁴⁾; nec minus apparet, ut pace dissidentium dixerim, ex ipsius Justiniani consti-

1) I. 10. pr. C. eod.

2) I. 10. §. 4—5. C. eod. Conf. Loehr, Magazin für Rechtswissenschaft, III. p. 390—394.

3) §. 3. J. de Seto Tert. (III. 3.) I. 2. §. 15.
I. 3. 1. 5. §. 2. D. ad Setum Tert. (XXXVIII. 17.).

4) I. 10. D. de suis et legit. (XXXVIII. 16.) I. 2.
§. 15—16. D. ad Setum Tert. (XXXVIII. 17.).
I. 2. C. ad Setum Tert. (VI. 56.).

tutionibus. Etenim I. 7. §. 1. C. ad Sctum Tert. (VI. 56.) asserit, *patris personam intervenientem matris jura superare videri*, ideoque matrem ab hereditate repellit, eique simul cum patre usumfructum pro besse assignat. Deinde Institutionum lib. III. tit. 3. de Scto Tert. §. 3. matrem a patre excludi tradit, §. 4 et 5. autem matrem ad Scti Tert. beneficium, quamvis jus liberorum non habeat, et cum fratribus et sororibus, p[ro]p[ter]e caeteris autem agnatis, ad hereditatem ex novis constitutionibus admitti affirmat. Patrem vero matre non amplius priorem esse nulla significatione ostendit. Quae cum ita sint, nec constitutio graeca de jure patronatus dubitationem nobis injiciat.

§. 8. Praeterea te meminisse velim, singularia quaedam in parente adrogatore recepta esse. Quum parens manumissor patroni instar haberetur, emancipati et ipsi libertorum instar essent oportuit: libertis denique alienis per obreptionem arrogatis jus suum patronus non amisit ¹⁾). Pro certo igitur sumo, eman-

1) I. 49. D. de bon. libert. (XXXVIII. 2.).

cipatorum adrogationem parenti manumissori nunquam obfuisse. Inde sequitur, parentem manumissorem ad hereditatem liberorum emancipatorum adrogatorumque venisse, sive in aliena familia, sive iterum ab adrogatore emancipati decessissent.

I. 1. §. 2. D. si a parent. qu. man. (XXXVII. 12.) Nepos ab avo manumissus dedit se adrogandum patri suo: sive manens in potestate patris decesserit, sive manumissus diem suam obeat, solus admittetur avus ad ejus successionem ex interpretatione Edicti, quia perinde desert Praetor honorum possessionem, atque si ex servitute manumissus esset: porro si hoc esset, aut non esset adrogatus, quia adrogatio liberti admittenda non est, aut si obrepserit, patroni tamen nihilominus jus integrum maneret.

§. 9. Parentis manumissoris liberi cognati que an ad successionem emancipatorum vocantur, prima specie quaestio videtur, quam facile solvas. Cur enim non admitterentur, quum et liberis et cognatis patroni successio

libertorum paternorum concederetur? ¹⁾ Neque is sum qui contendam, liberos parentis manumissoris, quoniam a honorum possessione contra tabulas emancipatorum arcerentur ²⁾, intestatorum etiam hereditatem non suscepisse. Quid? Quum liberi parentis manumissoris fiduciariam tutelam fratrum aut sororum haberent ³⁾, negarine potest etiam hereditatem eos habuisse? Attamen re bene perspecta, quin ab hereditate removerentur, non potest dubitari. Rescripserunt enim Diocletianus et Maximianus :

I. 1. C. commun. de succ. (VI. 59.) Scire debuisti, fratre emancipato potiorem eam, quae in familia mansit, in alterius emancipati bonis non haberis: sed eos pariter, si solenniter petierint honorum possessio- nem, succedere.

Imperatores itaque affirmant, quae in po- testate manserit, potiorem non esse emanci-

1) §. 3. J. de succ. libert. (III. 7. [8.]) i. 23. §.
1 — 2. D. de bon. libert. (XXXVIII. 2.).

2) I. 1. §. 5. D. si a par. qu. man. (XXXVII. 12.).

3) Tit. J. de fiduc. tut. (I. 19.).

pato: quodsi liberi parentis manumissoris ad bona emancipati venissent, ut liberi patroni ad bona liberti, filia in potestate, quin potior esset, fieri non potuit. Nam et patroni liberi, qui non exierint ex ejus potestate, soli ad hereditatem liberti antiquo et legitimo jure admittebantur¹⁾). Deinde imperatores significant, et quae in potestate manserit et emancipatum non succedere, nisi solenniter honorum possessionem petierit. Atqui si liberi parentis manumissoris liberorum patroni exemplo emancipati hereditatem accepissent, filia in potestate jure legitimo, nec agnita honorum possessione, succedere potuisset.

Inde colligere licet, jam antiquo jure liberos parentum manumissorum deterioris conditionis fuisse, nec ad similitudinem patroni liberorum ad successionem emancipatorum venisse. Quae juris constitutio tantum absuit, ut ab Justiniano mutaretur, ut eam recipiendo constitutionem Diocletiani et Maximiani in Codicem apertissime probaret.

1) I. 2. §. 2. D. de bonis libert. (XXXVIII. 2.).

§. 10. Superest ut dispiciamus, an emancipatorum liberi adoptivi parentem manumissorem excluderint. Antiquo enim jure dabatur patrono honorum possessio partis dimidiae contra suos non naturales ¹⁾: cuius ab interstato honorum possessionis neque in Digestis neque in Codice ullum vestigium reperies; solummodo in Institutionibus ejus mentionem fecit Justinianus, non tamen, quasi adhuc obtineret, sed veluti rei, quae antea obtinuerat: ut inde merito concluseris, ex sententia juris Justiniane et liberos liberti adoptivos penitus patrono praeferri.

Longe aliter rem ostendit constitutio graeca de jure patronatus: etenim adoptivos libertorum liberos patronis penitus postpositos esse tradit ²⁾. Quae tamen sanctio, quum nec in Institutionum aut Digestorum nec in Codicis

1). Caj. III. 41. Ulp. XXIX. 1. §. 1. J. de succ. libert. (III. 7. [8]).

2) I. 4. C. de bon. libert. (ap. Spangenb., p. 340.)
 ἐάν δὲ θεοὺς παιᾶς ἔχωσιν οἱ ἐλευθερωθέντες . . . ,
 τούτους εἰ καὶ ὑπεξίους ἔχωσιν, οὐ διχόμενα ἐν ταῦται
 γίῶν, ἀλλ' ἐν ταῦται ἔξωτικῶν.

libris ulla ejus significatio inveniatur, quum praesertim Institutiones liberos nominent non addito: *naturales*, mihi quidem dubia videtur. Ut cumque autem sit, a me non impetro, ut tantam iuris immutationem in tanto omnium legum silentio ad parentem manumissorem transferam, eumque ad imitationem patroni liberis emancipati adoptivis praeponam. Quin etiam animus magis inclinat, ut parentem manumissorem, exclusa bonorum possessione contra suos non naturales, liberis adoptivis posteriorem habeam.

§. 11. Verum enim vero parens tum ab omni emancipatorum hereditate removebatur, cum liberos contra pietatem adficerat, ideoque emancipare coactus erat¹⁾.

§. 12. Emancipatorum liberi si aut ante aditam hereditatem mortui sint, aut hereditatem noluerint; tum bona ad fratres et sorores veniebant, et his ipsis repudiantibus aut mortuis, ad parentem manumissorem: ut successioni lo-

1) I. ult. D. si a parent. qu. manum. (XXXVII.
12.)

cus esset, alterque alteri nunquam obstaret, nisi ipso jure praecederet, bonaque et posset et vellet assequi. Personarum enim manumis- sarum hereditates sic erant constitutae, ut, quae ceteroquin perhiberetur juris regula, in legitimis hereditatibus successionem non esse, non obtineret ¹⁾). Atque haec de jure civili. Transeamus jam ad:

§. 15. II.) Jus praetorium. Bonorum possessio dabatur 1) omnibus, qui ex ea parte Edicti veniebant, *unde liberi* vocabantur; post liberos autem defunctorum 2) his, qui et legitimam hereditatem capere potuerunt, ex illa Edicti clausula, *unde legitimi* admittebantur; deinde 3) cognatis defunctorum proximis quos Praetor tertio loco, *unde cognati* invitabantur, collocaverat; denique 4) viro et uxori ex parte Edicti, *unde vir et uxor* arcesseban- tur ²⁾.

1) l. 2. pr. l. 6. §. 3. l. 38. §. 1. D. de bon. libert. (XXXVIII. 2.). l. 1. §. 9. D. ad Sctum Tert. (XXXVIII. 17.).

2) §. 3 — 4. J. de bon. poss. (III. 9. [10.]).

CAP. II.

DE SUCCESSIONE PARENTUM MANUMISSORUM
 POST NOVELLAM CONSTITUTIONEM
 CXVIII.

§. 14. Novella haec constitutio, ut certis verbis ipsa declarat, non omnem omnino ab intestato successionem novo ordine composuit, nec omnes, quas non ipsa contineret, ab intestato successiones abolevit: eas solum, quae ex cognatione seu civili seu naturali descendarent, nova ratione constituit; omnesque veteris juris intestatorum hereditates, quae cognatione niterentur nec cum ipsa convenire possent, sustulit. Praefatur enim, antequam rem adgrediatur, Justinianus:

Nov. CXVIII. praef. Cum multas et diversas leges antiquis temporibus promulgatas inveniamus, per quas differentia successionis ab intestato inter *agnatos* et

cognatos non juste introducta est: necessarium duximus, hac lege omnes simul *successiones cognationis* ($\tauῆς συγγενεῖας διαδοχᾶς$) ab intestato clara et compendiosa distinctione definire, ut cessantibus prioribus legibus, quae hae de causa latae sunt ($\tauῶν ὑπὲρ τούτης τῆς αἵτιας τεθειμένων$), imposterum ea solum serventur, quae nunc definimus. Itaque quia omnis ab intestato *familiae successio* ($\eta\tauοῦ γένους ἐξ ἀδιαθέτου διαδοχῆς$) tribus ordinibus cognoscitur, scilicet ascendentium, descendentiū et collateralium, qui in agnatos et cognatos dividuntur, ut descendentiū *successio prima sit, sancimus*¹⁾.

En eas tantummodo *successiones*, quae ex cognitione proficerentur, *cognitionis successiones* in novum ordinem digestas, abrogatis prioribus legibus, quae has *successiones multis ambagibus implicassent*. Omnes igitur *intestatorum successiones*, quae non ex hoc cognitionis fonte profluerunt, salvae manent.

1) ex interpret. Hombergkii, conf. Nov. CXVIII.
c. 4.

Quid? Jureconsulti paene omnes et post hanc novellam constitutionem de honorum possessione, quae viro et uxori competit, de successione quorumdam collegiorum, legionum, vexillationum, cohortalium, uxorum indotatarum, denique fisci, uti de successionibus, quae novella constitutione nullo modo attingantur, disserunt.

§. 15. Perscrutantem itaque, quamnam vim Nov. CXVIII. in legitimam parentum manumissorum hereditatem exserat, ante omnia investigare oportet, quod ex emancipatione oriatur, jus succedendi cum cognatione cohaeret, an ex alia causa nasceretur. Si ex cognatione genitum erat, novella lege corruisse contendemus; sin autem ex alia causa originem traxerat, et post novellam legem firmum mansisse dicemus.

Sed, ut in medium rem te inducam, jus parentis manumissoris ex nulla cognatione provenit.

Parens manumissor exemplo patroni succedebat; ergo non ut cognatus, non magis, quam patronus ipse, quem neque ante neque

post manumissionem cognatum servi aut liberti dixeris. Quod enim a quibusdam jureconsultis traditur, patronum quasi consanguineum, patroni liberos quasi agnatos antiquo jure successisse, impropre magis et comparate, quam vere dicitur.

Nostra sententia confirmabitur, si animadverteris, emancipatione adoptivorum omnem cognitionem dissolvi ¹⁾), nihilo autem minus patrem adoptivum manumissorem ad hereditatem eorum pervenisse. — Itaque ut parentis manumissoris hereditas non ex cognitione proficiscebatur, sic et post Nov. CXVIII. adhuc obtineat necesse est.

§. 16. Videamus jam, in quem modum. obtainere possit.

Parens manumissor ante Nov. CXVIII. fratribus et sororibus emancipatorum posthabebatur, sed tantum naturalibus; fratres et sorores autem ex adrogatione quaesitas, emancipatis in aliena familia mortuis, praeibat: quamvis

1) §. 11. J. de hered. qu. ab int. def. (III. 1.) 1.
3. D. und. cogn. (XXXVIII. 7.)

jure civili fratres et sorores ex adrogatione ut proximi adgnati ad hereditatem veniebant. Idem prae fratrum et sororum liberis successione potiebatur; quamvis ipsi illi liberi inter agnatos erant recepti ¹⁾). Eodem inferior mater discedebat, quae alioquin ipsa legitima heres ex Scto Tertulliano existebat. Quibus omnibus certum fit, *legitimam* hereditatem per se parenti manumissori non obstare, nisi juris quadam singulari constitutione efficiatur, ut pater manumissor legitimis heredibus cedat.

Hac igitur juris regula edocemur, Novella CXVIII., quamquam omnes cognatos, modo esset cognatio jure efficax, heredes legitimos constitueret certoque ordine ad legitimam successionem invitaret, non id effectum esse, ut cognati, quicunque essent, parenti manumissori praeferrentur. Aliud est enim jure legitimo succedere, aliud parentem manumissorem praecedere.

§. 17. At alia nobis exoritur disceptatio.

1) §. 4. J. de legit. agn. succ. (III. 2.) l. 13. §.
1. l. 15. §. 5. C. de legit. hered. (VI. 58.)

Antiquo jure, quod ante Nov. CXVIII. obtinebat, parens manumissor multis personis praestabat, quoniam ipse ut legitimus successor aut hereditatem, aut honorum possessionem unde legitimi, adipiscebatur, illae autem non nisi unde cognati ad honorum possessionem veniebant: v. g. parens manumissor avo et aviae naturali, paternis vel maternis praeferebatur, quia et avus *) et avia unde cognati solum vocabantur. Quin etiam ex eadem causa patri naturali ut praestaret, evenire potuit. Fingamus enim avum, retento nepote in potestate, filium emancipasse, nepotem deinde post avi mortem adrogandum se dedito et ab adrogatore manumissum esse; erat hic parens manumissor naturali patre potior: ille enim tanquam legitimus, pater naturalis non nisi unde cognati succedere poterat.

Verum enim vero Nov. CXVIII, cognatos omnes ad legitimam hereditatem vocando ordinem succedendi tantopere immutavit, ut jam nemo, nisi per honorum possessionem unde

*) Si non ipse antea manumisisset.

cognati, ad successionem cognatorum non veniret. Sed, dixerit forsan aliquis, quid hoc ad jus parentum manumissorum? Immo maxime pertinet. Quamquam enim vidimus, parentem manumissorem etiam legitimos heredes superare, nec cognatis ideo posthaberi, quod Nov. CXVIII. legitimi heredes constituti sint; causae tamen aliquid habere videmur, cur parentem manumissorem non omnibus praeferamus, quibus idcirco ante Nov. CXVIII. praestabat, quod nullo legitimo jure muniebantur.

Itaque rem tam ancipitem si accuratius ac subtilius exploraveris, persuasum te habiturum spero, eam totam in eo verti, quem cuique locum Novella sua constitutione Justinianus assignarit. Quoscumque enim ita collocavit, ut aut pari aut etiam majori jure, quam qui parenti manumissori praeferrentur, successionem acciperent, hi etiam parentem manumissorem excludent, quos vero nulla ejusmodi praestantia ornavit, sed solum ad legitimorum heredum dignitatem extulit, hi a parente manumissore excludentur. Id sententiae veteris juris auc-

torum maxime congruum. Statuerunt enim, ubi plures in successione concurrerent, Primus, Secundus, Tertius, quorum alter alterum superaret, ut Primus, qui Secundo praestaret, etiam Tertio potior esset.

I. 2. §. 17. D. ad Sctum Tert. (XXXVIII.

17.). Si sit agnatus defuncti, et naturalis pater sit in adoptiva familia, sit et mater, admittimus matrem, quoniam patrem agnatus exclusit.

Pater igitur, quamvis matrem exclusisset, si solus cum ea concurrisset, tamen agnato superstite ipse excludebatur. Quam decisionem, quis non videt, totam in eo ponit, ut, qui vincat victorem, vincat etiam victimum? Quo majus autem sit, vincere eum jubere, qui nullo medio vincatur, eo justior videtur illius praerogativa, qui et solus non superetur.

Evidem non dissimulo, extare alios locos, qui a superiore discrepare videantur: sed re diligentius quaesita intelligimus, videri tantum repugnantiam, non esse. Jam in locum inquiramus, qui speciem discrepaniae maiorem prae se ferat.

I. 5. §. 2. D. ad Sextum Tert. (XXXVIII.
17.) Si ex filio nepotem avus manumis-
rit, isque patre et avo et matre superstiti-
bus decesserit, potest quaeri, quis potior
esse debeat? Nam si mater excluderit
avum manumissorem, qui patri anteponi-
tur, Edicto praetoris inducetur pater de-
functi: quo admisso, desinit Sexto locus
esse, et rursus avus vocabitur, itaque
rectius est, avo jus suum conservare, qui
et contra scriptos heredes bonorum pos-
sessionem accipere solet.

Quum avus manumissor non minus quam
agnatus patri, mater autem avo manumissori
anteponeretur non minus quam agnato, me-
rito credideris, matrem etiam patri anteposi-
tam esse. Itaque, ne Paulum ab Ulpiano, an-
tiquiorisque juris praecepta a se ipsa dissen-
sisse statuamus, singulari quadam ratione sen-
tentia Pauli nitatur oportet: quae ratio plane
non in occulto posita est. Quum non in in-
certo esset, paterne matrem superaret necne,
sed constaret, patrem potiorem esse, dubitari
potuit, superveniente Tertio, qui, dum patrem

solum vinceret, a matre sola vinceretur, mater praecelleret an Tertius. Qui matrem praetulerunt, sic ratiocinati sunt: *mater praefertur Tertio, Tertius patri, ergo et mater patri praeferenda.* Qui contra Tertium praeferre voluerint, in eum modum disputarent oportuit: *Tertius praefertur patri, pater matri, ergo et Tertius matri praferendus.* Utrique parti ab illa juris definitione proficendum erat, qui vincat victorem, vincat etiam victum; solummodo, quem vere victorem dicent, matremne quae Tertium, an Tertium qui patrem vinceret, ambigi poterat.

Quamcumque autem opinionem jureconsulti amplexi fuerint, quin confiterentur, posse causas existere, quae ab illa opinione deflecterent, fieri non potuit. Itaque Paulus avum mantumissorem praetulit, non quod ab Ulpiano dissentiret, qui agnato superstite matrem praetulit, sed quia jus avi potius videbatur quam jus agnati. Quamvis enim mater utrosque superaret, si de hereditate intestati ageretur, testamento tamen facto avus quam mater potior erat; quum avus, nec aut mater aut agnatus

bonorum possessionem contra tabulas, accipere soleret. Igitur *rectius* ei visum est, avo jus suum cconservare. Eodem modo Ulpianus ipse matrem non sine exceptione praefert patri, si cum matre simul adsit soror consanguinea, quae patrem quidem excludit, non autem ipsa a matre repellitur, sed aequa cum matre parte ad hereditatem vocatur. Ut maxime patri soror praestet, non tamen ita mater praestat sorori, ut patri sine ulla conditione anteponatur ¹).

His expositis apparet, ex sententia et Ulpiani et Pauli vera asseverare, qui dixerit, parentem manumissorem cognatis, qui ante Nov. CXVIII. nonnisi unde cognati bonorum possessionem acciperent, modo postponi modo anteponi prout cuique eorum locum Justinianus tribuerit.

Atque haec in universum. Jam rem singillatim pertractemus.

§. 18. Ex dictis sequitur, bipartitam esse post Nov. CXVIII. parentis manumissoris na-

1) l. 2. §. 18. D. ad Scutum Tert. (XXXVIII. 17.)

turalis successionem: nam et ex jure sanguinis et ex jure manumissionis succedere potest. Nec id re vera novum: quum et ante Nov. CXVIII. ut parens manumissor legitimam hereditatem, ut parens naturalis bonorum possessionem unde cognati nanciseretur. Id solum immutatum, ut parens naturalis post Nov. CXVIII. legitimus heres existeret, omnes ex latere cognatos, seu agnati essent seu cognati tantum, exceptis fratribus et sororibus germanis eorumque liberis ¹⁾), excluderet, matrisque legitimam hereditatem non amplius amoveret sed aut pariter cum ea tanquam herede legitima ex Nov. CXVIII. ad successionem veniret, aut per eam repelleretur.

Merito itaque quaeremus, possitne parens naturalis manumissor dupli jure simul uti? Quod nequaquam putamus: nec etiam unquam contingere potest, ut haec duo jura simul et efficienter exerceantur. Majori et ratione et effectu exploraveris, utrum duo illa jura ita concurrant, ut altero repudiatio alterum salvum

1) Nov. CXVIII. juncta Nov. CXXVII

maneat, an jus manumissionis a jure sanguinis prorsus absumatur. Sed rem diligentius perscrutato constabit, jus manumissionis in eum modum stabilitum esse, ne a sanguinis jure minueretur, parentis potius manumissoris arbitrio daretur, quo jure succedere vellet. Ut enim ante Nov. CXVIII. aut jure parentis manumissoris tanquam legitimus aut jure parentis naturalis tanquam cognatus sua auctoritate successionem obtinere poterat, sic et post Nov. CXVIII. quo velit jure uti potest. Confirmatur haec opinio Ulpiani et Pauli sententiis.

I. 91. D. de R. J. (L. 17.) Quotiens dupli jure defertur alicui successio, repudiato novo jure, quod ante defertur, supererit vetus.

I. 42. pr. D. de bon. libert. (XXXVIII. 2.) Paulus notat: ei, qui alio jure venit, quam eo quod amisit, non nocet id, quod perdidit, sed prodest quod habet: sic dictum est, patrono eidemque patronae filio non obesse, quod quasi patronus deliquit, si ut patronae filius venire possit.

Accedit, quod et in aliis rebus duplex successionis jus ita probatur, ut quod quisque velit persequi possit. Sic parens naturalis manumissor, qui bonorum possessionem contra tabulas emancipatorum frustra accepisset, jus antiquum sibi defendere potest; nec enim ei nocet, *quod jura patronatus habebat, cum sit et pater* ¹).

Eodem modo nepos naturalis in locum filii adoptatus avo naturali eidemque patri adoptivo succedet, nec pater naturalis ei obstat: nec enim ei nocet, quod sit nepos naturalis, cum sit et filius adoptivus ²).

§. 19. Parens manumissor idemque pater naturalis ante Nov. CXVIII. matrem excludebat. Quid? etiam post Nov. CXVIII. eam excludet? Sed matri obstabat, non ut parens manumissor verum ut pater naturalis, ne mater ex Senatus-consulto ad hereditatem legitimam perveniret: exclusa autem matre aut solus hereditatem accipiebat tanquam legitimus, aut pariter cum

1) l. 1. §. ult. D. si a par. quis man. (XXXVII. 12.)

2) l. 13. §. 5. D. de bon. poss. c. t. (XXXVII. 4.)

l. 1. §. 9. D. de conj. cum em. lib. (XXXVII. 8.)

ea ad bonorum possessionem unde cognati admittebatur ¹⁾.

Jure sanguinis igitur matrem repellebat. Quum autem post Nov. CXVIII. sanguinis jure pariter cum ea ad *legitimam* hereditatem perveniat, et claris Novellae verbis mater ut *legitima* non amplius patri naturali cedat, nec tanquam manumissor pater matri praestare potest. Accedit, quod proprium Senatusconsulti Tertulliani fuisse videtur, ut matrem non nisi tum admitteret, quum pater non adisset naturalis. At totum illud Sctum Nov. CXVIII. sublatum, novaque succedendi ratio instituta est. Nihil ergo est, quod illius Scii proprium retineamus. Ut paucis dicam, mater et pater ex Novella tanquam legitimi ita succedunt, sicuti pristino jure successissent, si Sctum Tertullianum patrem matremque simul vocasset.

§. 20. Novellà CXVIII. nondum facta avus naturalis manumissor praeter patrem naturalem successionem habebat; nisi pater, agnita unde cognati bonorum possessione, proximita-

1) l. 2. §. 16 — 19. D. eod.

tis jure eum superare posset. Novo autem jure pater avum praecedet; non quia heres legitimus constitutus sit, sed quia simul cum matre ad legitimam hereditatem admittatur, mater autem tanquam legitima heres avum manumissorem semper excluderet. Quam opinionem merito inde firmaveris, quod patri simul cum fratribus et sororibus germanis et praefratibus et sororibus ex altero tantum parente defuncto conjunctis hereditas desertur, quum ante Nov. CXVIII. ab illis excluderetur: fratres autem et sorores parentem manumissorem ab hereditate nunquam non repellunt

Itaque si sit pater naturalis, et avus naturalis manumissor, sit et mater, avo non amplius jus suum conservatur; nec enim *si mater excluderit avum manumissorem inducetur pater, quo admisso rursus avus vocabitur*¹⁾, sed ipsa vocabitur cum patre, qui eam non excludet. Num autem sine conditione patrem praefferemus? Sicut enim Ulrianus superstite sorore, quae simul cum ma-

1) l. 5. §. 2. D. eod.

tre veniret, matrem non sine conditione patri praetulit ¹⁾, sed exspectaturam judicavit, velit nec ne soror adire hereditatem, nonne et nos dicemus, patrem exspectaturum, velitne mater hereditatem adipisci? Quod minime verum putaverim: pater enim non solum cum matre, sed etiam cum fratribus et sororibus pari jure vocatur ²⁾.

§. 21. Fratrum et sororum liberos ante Nov. CXVIII. parens naturalis manumissor, sive pater sive avus esset, a successione prohibebat. Num et post Nov. CXVIII. idem dicemus? Atqui fratrum et sororum liberi jam ante Nov. CXVIII. inter heredes legitimos numerabantur, et tamen parens manumissor iis obstabat: quid est, cur non et post Nov. CXVIII. iis obstatrūs sit? Sed considera, quaeso, ante Novell. CXVIII. fratres et sorores obsuisse, quominus

1) l. 2. §. 18. D. eod.

2) Quaecunque de avo naturali, qui cum patre naturali concurreret, diximus, et de avo naturali manumissore, qui cum avia aut avo materno concurreret, dicta velimus. Nam et avus maternus et avia pari cum fratribus et sororibus jure vocantur.

fratrum et sororum liberi ad successionem pervenirent, fratrumque et sororum liberos cum ceteris pari gradu agnatis simul successisse. Per Nov. CXVIII. autem factum est, ut cum fratribus et sororibus simul hereditatem acciperent, omnibusque ex latere cognatis, ut maxime pari gradu essent, anteponerentur. Itaque fratrum et sororum liberi fratrum et sororum locum obtinent, et sicut fratrum germanorum liberi fratres ex altero tantum parente cum defunctis conjunctos praecedunt ¹⁾, sic et parente manumissore potiores habebuntur.

§. 22. Denique in parente naturali manumissore id nos meminisse oportet, ut, ubicunque tanquam manumissor postponeretur caeteris heredibus, jure sanguine tutus esset.

§. 23. Si sit parens manumissor adoptivus, sit et mater; sine ulla dubitatione matrem solam admittimus, quae etiam pristino jure, remoto parente adoptivo admittebatur.

Sin autem cum patre adoptivo concurrat

1) Nov. CXVIII. c. 5.

pater naturalis, iisdem de causis, quas supra ¹⁾ explicuimus, patrem naturalem praferemus.

Superstites fratres et sorores, seu utroque seu altero tantum parente defunctis jungantur, manumissorem excludunt: qui et ante Nov. CXVIII. eum excludebant.

Fratrum et sororum liberi quin manumissorem adoptivum praecedant, ex rationibus supra ²⁾ expositis nullus dubito.

§. 24. Caeteros omnes ex latere cognatos manumissor adoptivus superabit.

Hos enim omnes et ante Nov. CXVIII. manumissor removebat; nec, quod heredes legitimi facti sint, post Nov. Oberunt ³⁾. Neque enim in eum modum legitimi facti sunt, ut pari cum iis jure, qui manumissorem excluderent, vocarentur ⁴⁾. Tantummodo ex

1) §. 20. Quod de patre naturali, idem de caeteris ascendentibus, qui cum parente adoptivo concurrant, judicamus; nisi parens adoptivus et ipse jure sanguinis succedere possit.

2) §. 21.

3) supr. §. 16.

4) supr. §. 17.

bonorum possessoribus heredes extiterunt.
Quibus adjiciamus, manumissorem ante Nov.
CXVIII. fratrum adeo et sororum liberis prior-
rem fuisse, et post Novellam propterea solum
cedere, quod fratribus et sororibus ipsis ex-
aequati sint,

§. 25. Cognatis non superstitibus paren-
tem manumissorem adoptivum, exclusa bono-
rum possessione unde vir et uxor, ad heredi-
tatem venire, ita manifestum est, ut nulla de-
monstratione egere videatur.

Expositorum ut' summam faciamus, legi-
tima parentis manumissoris hereditas et post
Novellam CXVIII. obtinet, maximique, quod
ad parentem adoptivum attinet, est momenti.
Nec parenti naturali manumissori prorsus in-
utilis: non quod plus commodi per eam quam
per jus sanguinis in bonis intestatorum conse-
quatur, sed quod fundamentum sit bonorum
possessionis contra tabulas emancipatorum.
Cujus bonorum possessionis jam praecipuas
partes exponamus.

CAP. III.

DE BONORUM POSSESSIONE CONTRA TABULAS,
QUAE PARENTI MANUMISSORI ANTE NOV. CXV.
DEFEREBATUR, ET POST NOV. CXV. ETIAM
NUNC DEFERTUR,

§. 26. Ante Nov. CXV. non solum ab intestato sed etiam contra tabulas emancipatorum parentes manumissores vocabantur: idque a Praetore introductum est, quippe cui aequissimum visum est, ut parens manumissor exemplo patroni ad honorum possessionem contra tabulas admitteretur¹⁾). Exaequati igitur sunt etiam in hac honorum possessione patronis parentes; nec tamen per omnia: sed quibusdam discrepabant, aliaque in parentum alia in patronorum contra tabulas successione obtinebant.

1) I. 1. pr. D. si a p. q. manum. (XXXVII. 12.)

§. 27. Itaque si quaequieris, quibus personis honorum possessio contra tabulas datur, persuasum habebis, solos parentes manumissores non etiam liberos eorum honorum possessionem accepisse: nec mirum, quum ne ab intestato quidem hereditas iis deferretur ¹⁾. Pari modo non contra omnium emancipatorum testamenta honorum possessio concedebatur manumissori: nam si minus centum aureis emancipatus in bonis habebat, parentes manumissores aequae ac patroni excludebantur ²⁾.

§. 28. Bonorum autem possessione contra tabulas agniti testamentum non rescindebatur, ita, ut ab intestato succederetur, sed id solum efficiebatur, ut tertiam honorum partem parens acquireret; qua tertia parte debita parenti sicuti patrono portio constabat ³⁾. Quum enim parens manumissor honorum possessionem peteret, debitam solummodo partem omnibus he-

1) l. 1. §. 5. D. eod.

2) §. 3. J. de succ. libert. (III. 7. (8.))

3) §. 3. J. cit. Turpibus tamen personis institutis honorum possessionem totorum parens obtinebat (l. 3. pr. D. eod.)

redibus pro portione hereditaria auferebat ¹⁾: nec heredibus tantum, sed etiam legatariis fideicommissariisve, ut debitam partem ex omnibus bonis haberet ²⁾.

§. 29. Liberis tamen superstitibus iisdemque heredibus institutis parens manumissor repellebatur; nec intererat, omnes an singuli instituti essent, et quānam ex parte ³⁾; dummodo hereditatem vere acquirerent, nec aut repudiatione aut alia ex causa ab ea arcerentur ⁴⁾. Itaque et si totam hereditatem rogati restituerent, pro institutis non habebantur ⁵⁾. Sed si extranei et instituti et rogati essent, ut liberis aut alicui ex liberis hereditatem vel totam vel partem ejus restituerent, liberi tanquam instituti parentem summovebant ⁶⁾.

Liberis vero omnibus aut exheredatis aut praeteritis parens manumissor honorum pos-

1) l. 16. §. ult. l. 20. §. 2. l. 43. D. de bon. libert.
(XXXVIII. 2.)

2) l. 20. §. 3. D. de eod.

3) §. 3. J. cit. l. 7. pr. D. eod.

4) l. 6. §. 2—3. l. 20. §. 4—5. D. eod.

5) l. 20. §. 5. D. eod.

6) l. 4. §. ult. D. eod.

sessionem contra tabulas nanciscebatur, nisi exheredati aut praeteriti emancipatorum testamenta aliqua ex causa everterint¹⁾.

§. 30. Fratres autem et sorores defunctorum, etsi heredes instituerentur, parenti manumissori non obstabant. Nusquam enim vel ambiguо sermone significatur, tanti fratum institutionem putatam esse, ut parenti manumissori honorum possessionem adimeret. Quamvis enim non is sim, qui infitier, non prorsus vanam videri illorum opinionem, qui contendant, et fratres et sorores, quum non minus quam liberi intestatorum hereditates p[re] parentibus nanciscerentur, si testamento facto vel minima ex parte instituti essent, parentem removisse: re tamen bene perspecta certum nobis fit, ex successione in bona intestatorum de successione contra testamenta non posse conjecturam capi. Id cum ex querela inofficiosi testamenti, tum ex ipsius honorum possessionis, quae parenti manumissori competit, indole appetat. Quum enim liberi²⁾ etsi

1) §. 3. J. cit.

2) vel etiam unus ex liberis.

minima ex parte instituti parentem exclude-
rent, compertum habemus, non quia iidem,
qui intestati hereditatem adipiscerentur, testa-
mento instituti essent, parentem remotum esse,
sed singulare quoddam in liberis oblinuisse.
Accedit, quod et liberi in adoptionem dati, qui
mortis tempore in aliena familia fuerant, anti-
quo jure honorum possessionem prohibuerunt,
etsi nec jure civili, nec jure praetorio unde
liberi succederent, nec in intestatorum here-
ditatibus parenti manumissori praestarent¹⁾.

Firmatur denique nostra opinio inde, quod
nec matrem, quae parentem adoptivum avum-
ve summovebat, testamento institutam usquam
legimus honorum possessioni contra tabulas
obstitisse, et quod constitutio graeca de jure
patronatus liberorum solum non etiam fratum
vel sororum mentionem facit²⁾.

Quae tamen affirmavimus, tum solum ob-
tinuisse, cum testamentum firmum mansisset,
nec a fratre, vel sorore, vel etiam matre per

1) Caj. III. 41. §. 2. J. de succ. libert. (III. 7. (8.))

2) I. c. ap. Spangenb. p. 358 — 359.

querelam inofficiosi testamenti rescissum esset,
non est quod doceamus.

Igitur peculiare aliquid in hac bonorum
possessione approbabatur, ut parens manumis-
sor, qui liberis intestatis mortuis a fratre vel
sorori victus esset, partem debitam contra te-
stamentum petere posset: nec tamen magis
peculiare, quam illud, ut liberis justè exhere-
datis aut praeteritis parens manumissor ad bo-
norum possessionem vocaretur, quamvis inte-
stati hereditatem liberi abstulissent ¹⁾.

§. 51. Iterum removebatur parens manu-
missor, si debita pars ei data esset.

Itaque sive heres institutus esset ex debita
portione, sive legatum fideicommissumve acce-
pisset, bonorum possessio denegabatur. Sed
et si mortis causa ei donatum esset, quantum
sufficeret ad excludendam bonorum possessio-
nem, aut etiam si inter vivos donationem acce-

1) Simile quid in querela inofficiosi testamenti no-
bis obvenit. Etenim, si liberi nolint aut non
possint testamentum impugnare, parentes admit-
tuntur (l. 14. l. 50. pr. D. de inoff. test. V. 2.);
quamquam nullo testamento facto soli liberi ad
successionem venissent.

pisset contemplatione debitae partis, excludebatur¹⁾: nec intererat, per se an per aliam personam, puta per servum vel filium familias debitam portionem nactus esset²⁾.

Denique Justinianus sancivit, ut parens manumissor, quamvis minus debita portione relictum esset, a bonorum possessione arcetur, et non nisi id, quod deesset, peteret; ut sola ad replendam debitam portionem actio concederetur³⁾.

§. 32. Quibus expositis edocemur, honorum possessionem contra tabulas parenti manumissori non ut parenti sed ut manumissori impertinam esse. Parens, qui testamento praeteritus esset, per querelam inofficiosi testamenti, tabulas penitus evertebat; manumissor non nisi debitae partis contra tabulas accipiebat possessionem: nec enim in hac honorum possessione de jure testamenti quaerebatur, sed de jure patris ma-

1) I. 3. §. 15 — 19. I. 8. §. 3. D. eod.

2) I. 8. §. 2. I. 45. D. eod.

3) I. 30. C. de inoff. test. (III. 28.), de qua constitutione alio loco disputabimus.

numissoris ¹⁾). Parenti, ut querela inofficiosi testamenti impediretur, quarta pars ab intestato portionis, aut post Nov. XVIII. modo tercia modo semis ab intestato portionis, relinqueretur oportuit: manumissor antiquo jure semissem, post Justiniani de jure patronatus constitutionem, tertiam honorum accipiebat.

Parenti igitur naturali eidemque manumissori duplex contra testamenta liberorum emancipatorum petitio competebat, querela inofficiosi testamenti et honorum contra tabulas possessio; quarum qua mallet uti poterat: nec si honorum possessione petita non obtinuissest altera denegata est ²⁾). Pinguius enim remedium honorum possessionis interdum fuit; quum per illam, quicunque praeter liberos institutus esset, tertiam honorum partem auferret, nec *legitima* portione relicta sicuti a querela ita et a honorum possessionis commodo penitus arceretur: auctum denique jus manumissoris in eo videtur, ut superstibus

1) I. 16. §. 1. D. de inoff. test. (V. 2.)

2) I. 1. §. 6. D. si a p. q. manum. (XXXVII. 12.)

quibusdam personis¹⁾, qui parentem ab intestati hereditate summovissent, querelam aut omnino non aut frustra perferret²⁾, honorum possessione autem agnita debitam partem haberet.

§. 53. His positis quaeritur, utrum honorum possessio contra tabulas sublata sit per Nov. CXV. c. 5—5. an saltem immutata.

Re itaque accuratius explorata pro certo credimus, Novellam CXV. hanc honorum possessionem neque sustulisse neque immutasse. Complectitur enim Nov. CXV. eas solas personas, quae parentum liberorumque locum interesse obtinent; de manumissore nullo verbo loquitur. Sicuti igitur querela inofficiosi testamenti, qua fratres et sorores testamenta rescinderent, Novella constitutione non tangitur, ita et manumissoris contra tabulas possessio per eam nullo modo aut abrogatur aut mutatur: quam honorum possessionem non parenti contra tabulas liberorum, sed manumissori contra tabulas emancipatorum, sed patrono

1) Fratribus puta vel sororibus.

2) I. 6. §. 1. D. de inoff. test. (V. 2.)

contra tabulas eorum, qui libertorum loco haberentur, jus praetorium pollicebatur.

Jam exploremus, qualem utilitatem haec honorum possessio post Nov. CXV. parentibus asserre possit,

Sed parenti adoptivo manumissori, qui non sit ex parentibus naturalibus, quid commodi comparet, in aperto est: nam adoptione soluta nullum aliud ei superest adjumentum contra tabulas emancipatorum.

Verum enim vero bonorum possessionem hanc etiam parentibus naturalibus manumissoribus permultum lucri conciliare, paucis explanemus.

Si sit pater naturalis manumissor ex legitima portione, quae querelam excluderet, institutus, sint et mater, et tres sorores aut fratres utroque parente juncti et ipsi instituti, legitima illa portio ex decima hereditatis parte consistet; tanquam manumissor autem pater actionem ad supplendam tertiam bonorum partem habebit. — Porro si sit pater manumissor naturalis ex legitima portione institutus, sit et mater instituta et praeterea extraneus: pater

tanquam pater non nisi sextantem, tanquam
manumissor trientem auferet.

Finge, superesse patrem naturalem manumissorem testamento praeteritum, superesse et matrem, et duos fratres ex utroque latere junctos defuncto, testamentoque heredes institutos: hic pater, si testamentum tanquam pater naturalis everterit, nunquam amplius quarta hereditatis parte obtinebit, salvis legatis ac fideicommissis: at per honorum possessionem contra tabulas tanquam manumissor tertiam honorum partem accipiet.

Finge matrem et patrem naturalem institutum, avum naturalem manumissorem praeteritum: hic avus testamentum frustra tanquam avus naturalis impugnabit, sed honorum possessione contra tabulas agnità debitam partem nanciscetur.

Atque haec exempla sufficient.

